



I. N. 3.

27404 35.
1694, 4 28

DISPUTATIO JURIDICA,
**DE TESTIUM
PUGNA,**

Quam

443

AUXILIANTE DIVINO NUMINE
EX DECRETO AMPLISSIMI SENATUS
ACADEMICI,

SECUNDUM STATUTA,

PRO LOCO

PROFESSIONIS TERTIÆ ORDINARIÆ,

Publicæ eruditorum disquisitioni

subjicit

JOHANNES Stein /

J. U. D.

RESPONDENTE

ANDREA HEDIONE,

Phil. atque LL. Stud.

Ad d. 21. Maji. An. M DC XCIV.

Horis ante & pomeridianis.

REGIOMONTI, TYPIS REUSNERIANIS.



28
AUGUSTO,
SERENISSIMO atque POTENTISSIMO
PRINCIPI & DOMINO,
DOMINO
FRIDERICO
TERTIO,

MARCHIONI BRANDENBURGICO,
SACRI ROM. IMPERII ARCHICAMERARIO
ET PRINCIPI ELECTORI,

PRUSSIAE, MAGDEBURGI, CLIVIAE, JULIAE, MON-
TIUM, STETINI, POMERANORUM, CASSUBIORUM,
VANDALORUM, IN SILESIA, CROSNÆ,
SCHWIBUSSIQUE

DU CI,

BURGGRABIO NORIMBERGENSI,
PRINCIPI HALBERSTADII, MINDÆ ET
CAMINI,

COMITI AB HOHENZOLLERN, MARCÆ
ET RAVENSBERGÆ,

DOMINO RAVENSTEINII, NEC NON TERRARUM
LAUENBURGI ET BÜTOVII, &c. &c. &c.

PIO, FELICI, INCLYTO
PRINCIPI,

Domino meo Clementissimo,

Hanc de pugna testium Disputationem cum calidissimo
felicis semper adversus hostes pugnae, victoriae omni-
genaeque prosperitatis voto

offert & dedicat

JOH. Steini D.

Testibus haud minorem ac instrumen-
 tis fidem esse tribuendam constat ex
 l. 15. C. de fide instrument. modò duo
 vel tres idem asseverent l. 12. ff. de
 testib. c. 4. & 23. x. eod. & in unum
 conspirent rei finem l. 16. C. de pœnis. *Ves. in commen-*
tar. ad digest. de Testib. n. 6. Si verò testes singulares
 sunt, quales propriè illi dicuntur, qui in depositione
 sua contestes non habent, sed qui illa deponunt, quæ
 ipsi soli sciunt, reliqui ignorant, vel non eòdem mo-
 dò deponunt, sicut eosdem describit *Farinacius de testib.*
lib. 3. Tit. 7. Quest. 64. n. 28. contrarium statuendum,
 adeò ut mille minus probent quàm unus, cum alter
 alterius fidem debilitet. *Carpz. in process. Jur. Tit. 13.*
Art. 3. n. 45. Non igitur credendum testibus, quo-
 rum unus ferrò alter clavâ homicidium perpetratum,
 unus Titium alter Mævium obtruncatum esse dicit,
 diversitas enim in re vel persona maximam inducit
 singularitatem. *Farinac. de test. cit. loc. n. 11. & 12.*
 Idem de diversitate in loco vel tempore Judicium fe-
 rendum. Modò locus & tempus ad substantiam actus
 pertineant *Carpz. JPrud. for. part. 1. const. 16. def. 41.*
n. 1. Sic in actione injuriarum tempus & locus ex-
 primantur necesse est. Si igitur alter ex testibus inju-
 riam in foro, alter domi, alter die, alter nocte illatam
 esse asseveret, testimonium rejicitur. *Berlich. part. 1.*
concl. 36. n. 132. seq. Si autem hæ circumstantiæ sub-

A

stan-

stantiam actus non ingrediuntur, testes singulares
conjunguntur, unamque plenam probationem effi-
ciunt. Unde si unus testis de confessione debitoris cer-
tò locò vel tempore, alius de confessione alio loco vel
tempore facta deponat, hæ binæ extrajudiciales con-
fessiones & semiplenæ probationes ad unam plenam
faciendam combinantur. Ratio est, quia hæ testium
depositiones ad unum eundemque finem scilicet ad
probandam debitoris confessionem tendunt. Quo-
tiescunque autem testes ad eundem finem conspirant,
plenè probant *l. 16. C. de pœnis. Gail. lib. 2. obs. 66. n. II.*
¶ 12. Rauchbar. part. 2. qu. 5. n. 5. Farinac. lib. 3. t. 7. qu.
64. n. 146. seq. Berlich. cit. loc. n. 129. seq. Sola enim
testium diversitas circa negotii substantialia fidem
eorum tollit, *Farinac. lib. 3. t. 7. qu. 65. n. 16. seqq.* Neq;
testium diversitas nocet, si quid in genere proban-
dum. Hinc Jurisdictio in genere satis probata esse
censetur, si unus de meri alter de mixti imperii actu
deponat, modò de certa Jurisdictionis specie non
contendatur: ad merum enim imperium probandum
hæc testium depositio non sufficit, cum singularita-
tem sapiat. Ita *cap. 9. x. de probat. explicandum. Gail.*
cit. loc. n. 12. Carpzov. d. defin. 41. n. 2. seqq. Farinac. lib.
3. t. 7. qu. 64. n. 189. Brunn. in commentar. ad Pand. ad
l. 21. de test. n. 8. seq. Mascard. de probat. vol. 2. concl. 749.
num. 23. Mynsinger. centur. 3. obs. 76. Modest. Pistor. p. 1.
qu. 50. in fin. Carpz. l. 3. tit. 7. resp. 66. n. 14. ¶ 15. Ubi
inter singularitatem obstativam vel diversificativam
&

& ad miniculativam distinguit, & illam non hanc testimonium fidem evertere adstruit *Carpzov. cit. loc. n. 9.* Si testimonium contrarietas non est evidens, iudicis prudentis est, ut dicta illorum examinet, eaque conciliare studeat. *cap. 16. x. de testib.* partim quia in dubio benigniorem interpretationem sequi oportet, verbaque ita explicanda sunt, ut actus valeat potius quam pereat, *cap. 25. vers. profectò sic intelligenda sunt illa verba x. de verb. signif. cap. 6. ibi: unde tamen intelligatur eò modò, quò magis posset valere x. de fide instrument.* partim ne testes producens probatione, cuius magnus favor est, destituatur. *l. 22. ff. de testib.* partim ne testes perjurii reatu notentur *d. cap. 16. x. de testib.* Itaque si testes de diverso tempore deposuerunt, puta unus de sex alter de septem annis, non sunt discordes habendi, quia ille testis, qui dixit de sex annis, non negavit de septem, & saltem conveniunt in minori tempore, *l. 27. §. 3. ff. de recept. qui arbitr. receper. Farinac. lib. 3. t. 7. qu. 65. n. 73. seqq. & n. 251. Carpzov. JPrud. for. part. 1. const. 16. def. 42. & in process. jur. tit. 13. a. 3. n. 48. seqq. & lib. 3. tit. 9. resp. 95. n. 1. seqq.* Si autem testes ita sibi contradicunt, ut ad concordiam redigi nequeant, quorumnam dictis major fides habenda sit, quæri solet? Cui ut satisfiat quæstioni, partim ad testimonium qualitatem, partim ad numerum, partim ad dicta illorum respiciendum. Quoad qualitatem observanda est

Prima thesis: in testimonium conflictu di-

A 2

gnio-

gnioribus plus fidei tribuendum,
quam humilioribus.

Probatur l. 3. pr. l. 21. § 2. & 3 ff. de testib. Nov. 90.
cap. 1. cap. 32. ibi: ad multitudinem tantum respicere
non oportet sed ad testium qualitatem. x. de testib. l. fin.
ff. de fid. instrum. Struv. Exercit. 28. th. 49. Busius ad l.
21. ff. de testib. n. 1. Carpzov. Jurisp. for. part. 1. constit. 16.
def. 43. n. 4. Ratio consistit in præsumptione, quam
jura de honoratorum fide habent: Hinc magis No-
bili quam rustico, magis Doctori quàm non Doctori
creditur. Farinac. l. 3. t. 7. qu. 65. n. 115. & 118. Sic &
Clerici præ laicis fidem merentur arg. can. Monachus
9. distinct. 77. Felin. ad cap. 32. x. de test. n. 1. Idque
non solum procedit, si honestiores reliquis sunt nu-
mero pares, sed etiam si pauciores, quia non tam
multitudo consideranda, quam fides & auctoritas te-
stium. l. 21. in fin. de testib. cap. 32. x. d. t. Carpz. cit. loc.
n. 5. & 6. Brunnem. ad l. 21. ff. de testib. n. 7. Sic pauci no-
biles multis rusticis præferuntur. arg. l. 3. pr. ff. de testib.
& glossa ad can. monachus 9. distinct. 77. dicit, quod tan-
tum valeat testimonium quatuor clericorum, quan-
tum sex laicorum. Felin. ad cap. in nostra 32. n. 1. & II.
Modò (1) dignitas præfulgeat notabilis, non enim
quævis parva testium dignitas prævalet. (2) humiliores
modicò numerò digniores excedant; secus si magnus
testium humiliorum numerus digniorum seriem supe-
rat. Farinac. l. 3. tit. 7. quest. 65. n. 121. 122. & 123. Brunnem.
ad l. 21. ff. de testib. n. 7. Numerus enim quandoque defe-

defectum qualitatis supplet. *Farinac. cit. loc. n. 125. in fin.* (3.) Si vitæ honestas dignitati non respondet, contra inferioris conditionis testes bonis moribus imbuti, hi illis præferuntur. *Farinac. cit. loc. n. 116.* (4) Tunc quoque humilioribus debetur prærogativa, si illorum dicta in favorem rei inclinant, digniorum verò attestata eundem gravant. *Farinac. all. loc. n. 126.* Ex hac thesi fluit

Secunda: Masculis major quam foeminis fides habetur.

ANtequam hujus regulæ explicationem aggrediamur, observandum est, quod mulier Jure Civili in omnibus causis tam civilibus quam criminalibus ut idonea testis producat. *L. 18. ff. de testib. l. 20. §. 6. ff. Qui testam. fac. poss. arg. l. 3. §. 5. ff. de testib.* in qua mulier palam corporis quæstum faciens à testimonio repellitur. Inde colligitur, quod si honestæ vitæ & integræ existimationis sit, testificari possit. *Felin. ad cap. quoniam. 3. x. de testib. Hartmannus Hartmanni lib. 2. tit. 15. observ. 4. n. 1.* Excipiuntur tamen testamenti, à quibus foemina ob solennitatem arceretur *d. l. 20. §. 6. ff. Qui testam. fac. poss. §. 6 l. de testam. ordin.* A codicillis foemina non removetur. *arg. d. l. 20. §. 6. ff. Qui testam. fac. poss.* nec à testamento Parentum inter liberos. *Jus Prut. lib. 1. tit. 35. art. 8. §. 16.* nec si ad pias causas factum, vel militare fuerit. His enim testamenti generibus solennitates Juris Civilis remissæ. Idem de

alia ultima voluntate minus solenni ut donatione
mortis causa iudicium ferendum. *Farinac. de testib. lib. 2.*
tit. 6. qu. 59. n. 55. seqq. Felin. ad dict. cap. Quoniam. 3. n. 2.
& 3. Hartm. Hartmann. lib. 2. tit. 15. obs. 5. Excipiuntur
porro causæ feudales *2. F. 32. ibi: præter fœminas.* in qui-
bus fœminæ testificari nequeunt, partim quia in illis
testes non nudæ probationis sed & solennitatis causa
interveniant. *2. F. 32. pr. ibi: sine hac solennitate,* partim
quia feuda intuitu militiæ, cuius mulier nullam habet
communione, dantur, partim quia investituræ in
cœtu virorum celebrari solent, cui mulierem interesse
sexus pudori non convenit. *L. 1. §. 5. ff. de Postuland.*
Ludov. in Synops. feud. cap. 8. pag. 142. Jure Canonico
mulierem in causis Civilibus ut testem admitti conce-
dunt Canonistæ, quorum magnam enumerat seriem
Farinac. lib. 2. tit. 6. qu. 59. n. 32. aut in Criminalibus com-
muniter negant per *cap. 10. ibi: Si vir non fœmina. x. de*
Verb. signif. can. 17. caus. 33. qu. 5. Felin. ad cap. quoniam. 3.
x. de Testib. n. 1. Farinac. lib. 2. tit. 6. qu. 59. n. 1. ibique
alleg. Hartm. Hartmann. lib. 2. tit. 15. obs. 4. n. 2. Verum
quod Jure Canonico quoque in causis criminalibus
fœmina ad dicendum testimonium admittatur, satis
docent *can. 2. caus. 15. qu. 3. cap. 3. & 33. x. de testib.* Qui
textus non nisi per interpretationem violentam à Ca-
nonistis ad istum detorquentur casum, si in causa cri-
minali civiliter agitur. *vid. Felin. cit. loc. Farinac. d.*
qu. 59. n. 5. Non enim negari potest, quod *cap. 3. x.*
de testib. de facinoribus Presbyteri probandis in ge-
nere

nerē loquatur. Citatus autem *can. 2. caus. 15. qu. 3.* tam
universalis est, ut *Felinus all. loc. n. 1. in fin.* ceteroqui
contrarius fateatur, per d. canonem *Legem 18. ff. de*
testibus esse canonizatam, cum de verbo ad verbum
in *all. can.* sit translata. Ad *can. 17. caus. 33. qu. 5. &*
cap. 10. x. de Verb. sign. responderi potest, quod mulier
non simpliciter testis esse prohibeatur, sed solum pro
teste non omni exceptione majori habeatur. *Berger.*
ad compend. Lauterb. de testib. qu. 2. Zoes. in commentar.
ad Pand. de testib. n. 5. Jure Prut. mulier in delictis
non nisi in subsidium testimonium perhibere potest.
lib. 1. tit. 35. art. 8. §. 16. De illis igitur casibus, quibus
fœmina testis esse potest, thesis intelligenda, quod si
inter illam & masculum pugna existat, testimonium
masculi præferatur. *L. fin. ff. de fide instrum.* quod ob
dignitatem sexus virilis receptum. *L. 1. pr. ff. de Sena-*
tor. l. 9. ff. de statu homin. Bald. ad l. fin. ff. de fide instrum.
Gothofr. ad d. l. fin. lit. C. Abb. in cap. forus 10. x. de V. S.
Felin, in cap. Quoniam. 3. x. de testib. Brunnem. ad l. 2. & 3.
ff. de testib. n. 2. Carpzov. lib. 3. tit. 9. resp. 95. n. 4. sup-
ponenda tamen est paritas in testium numero & per-
sonarum qualitate; si enim mulieres masculos nume-
rò vincunt, vel si mulieres integræ sunt existimatio-
nis, masculorum autem fides per vitam dissolutam,
suspecta reddita, mulieribus potius credendum. *Fa-*
rinac. lib. 2. tit. 6. qu. 59. n. 49. & 51. & lib. 3. tit. 7. qu. 65.
n. 182. Limitanda quoque est thesis, si fœminæ de-
ponunt pro reo, masculi pro actore, illæ pro innocen-
tia,

tia, hi pro reatu, foeminarum dicta favore innocentiae
praeferuntur. *Farinac. d. qu. 59. n. 53. & d. qu. 65. n. 181.*

Tertia: Seniores praeferuntur Junio- ribus.

Arg. l. 16. *ibi: vel etate. ff. de accusat. Carpz. part. 1.*
const. 16. def. 42. n. 4. Felin. ad cap. In nostra 32. n. 12.
quod ita ob auctoritatem & constantiam senum rece-
ptum, quippe qui Judicii firmitate juvenes antecelle-
re censentur. Limitat regulam *Farinacius lib. 3. tit. 7.*
qu. 65. n. 176. eamque non procedere dicit, si testes
juniores dignitate senes praecedunt.

Quarta: Ad ditiorum magis quam egenorum testimonium respicien- dum.

L. 3. *pr. ibi: an locuples vel egens ff. de testib. Nov. 90.*
c. 1. ibi: aut divitiarum. can. 3. §. testium fides.
caus. 4. qu. 3. Haud quidem pauperes a testimonio pe-
nitus repelluntur, *cap. 8. x. de testib. Jus Prut. lib. 1. tit.*
35. art. 8. §. 17. quia paupertas non est ex genere ma-
lorum, nec ulla animadversione digna existimatur,
neque testimonii fides ex divitiis sed ex vitae inte-
gritate morumque honestate pendet. *arg. l. 21. §. 5. ff.*
de tutor. & curat. dat. Cum tamen leges pauperem
lucris aviditate capi & facile ad perjurium sollicitari
presumant. *L. 3. pr. ibi: Ut lucris causa quid facile ad-*
mittat.

mittat. ff. de testib. & frequentius accidat, ut pauperes quam divites corrumpantur, idcirco in testium conflictu divitibus magis quam egenis creditur. Alber. in l. 3. ff. de testib. num. 5. Farinac. lib. 2. tit. 6. qu. 57. num. 35. Nisi egenus sit honestæ & inculpatae vitæ, tunc enim ejusdem fides per paupertatem non diminuitur. L. 3. pr. ibi: nam si careat suspicione testimonium, vel propter personam, à qua fertur, quod honesta sit, vel propter causam, quod neque lucri causa sit, admittendus est ff. de testib. Idoneitas namque testis non ex facultatibus sed ex fide aestimatur. Farinac. cit. loc. n. 75. seqq. adeo ut si pauper virtuosus cum divite vitioso concurrat, illi magis quam huic fides sit habenda. Farinac. all. loc. n. 43. Quis autem pro paupere sit reputandus, inter Doctores non convenit? Gothofred. ad l. 3. pr. ff. de testib. lit. l. illum pauperem dici opinatur, qui minus quam quinquaginta aureos habet per L. 10. ff. de accusat. Quamvis autem hæc opinio eatenus vera sit, quatenus is, qui quinquaginta aureis destituitur, ab accusatione repellitur, qui casus est all. leg. 10. Attamen quis extra illum casum pro paupere sit habendus, Judicis arbitrio committendum, cum nusquam in jure determinatum sit. arg. l. 1. in fin. ff. de jur. deliber. Judicis enim est, ut in aestimanda paupertate personarum qualitatem attendat. Si enim nobilis non plus habeat, quam dives rusticus, pauper adhuc judicandus est: & contra si rusticus tantum possideat, quantum nobilis pauper, nonnunquam dives censendus est,

B

est,



est, cum conditio rustici non tantas, quantas in nobili,
requirat facultates. *Farinac. lib. 2 tit. 6. qu. 57. n. 93. & 94.*
Hancque sententiam confirmat *Jus Prut. lib. 1. tit. 35.*
art. 8. §. 17.

Quinta: Si testes ejusdem sunt exi-
stimationis & fidei, plures vincunt
pauciores.

C*Ap. 32. vers. mandamus. x. de testib. arg. cap. 57. ibi:*
ubi major numerus est, zelus major presumatur. x.
de electione. Ratio est in cap. 9. x. de probat. quod te-
stibus numero pluribus lux veritatis potius adsistat,
& in cap. 21. x. de offic. & potestate jud. deleg. quod
integrum sit judicium, quod plurimorum sententiis
confirmatur. Carpzov. in process. jur. tit. 13. art. 3. n. 71.
seqq. & in Jurispr. forens. part. 1. constit. 16. def. 45. & in
responsis lib. 3. tit. 9. resp. 95. n. 5. & 13. Bus. ad l. 21. ff. de
testib. n. 2. Wesenb. in commentar. ad Pand. n. 6. Myn-
singer. centur. 4. obs. 38. Farinac. lib. 3. tit. 7. qu. 65. n. 107.
ubi num. 108. & seqq. varias hujus regulæ limitatio-
nes subjungit. Interdum evenit, ut testes numero pa-
res sibi contradicant, ubi sequentes theses observan-
dæ sunt.

Sexta: Si probationes ab utraq; par-
te æquales, reus est absolvendus.

Favo-

Favorabiliores enim sunt partes rei quam actoris.
*L. 125. ff. de R. l. & faciliorem oportet esse judi-
cem ad absolvendum quam ad condemnandum. cap.
3. x. de probat. cap. 6. in fin. x. de fide instrument. l. 47. ff.
de obl. & act. VVesenb. in comment. ad Pand. de testib.
n. 6. Carpzov. in JPrud. for. part. 1. constit. 16. def. 46. &
in respons. lib. 3. tit. 9. respons. 95. n. 9. seq. & in process. jur.
tit. 13. art. 3. n. 75. seq. Gail. de pignorat. obs. 22. n. 11. Brun-
nem. ad l. 21. de testib. n. 12. Quod ipsum cum in civi-
libus procedat, multò magis in criminalibus obtinere
debet, quippe in quibus probationes luce clariores
requiruntur. *l. fin. C. de probat.* quæ tamen per testium
pugnam valdè obscurantur. Hoc igitur casu potius
pro innocentia quam reatu deponentibus creden-
dum. *Farinac. lib. 3. tit. 7. qu. 65. n. 153.* ubi allegat *Ro-
land. & Mascardum* dicentes: magis credendum esse
testibus homicidium casu quam dolo commissum as-
serentibus. Fallit thesis, si actoris causa ex ratione
speciali favorabilior est, veluti si agitur de matrimo-
nio, dote, libertate, testamento, si causæ viduarum,
pupillorum, pauperum, aliarumque miserabilium per-
sonarum ventilantur, tunc non prævalet favor rei, sed
pro actore pronunciandum. *L. 24. pr. & §. 1. ff. de ma-
numiss. l. 38. pr. ff. de re judicat. l. 1. ff. solut. matrim. arg.
l. un. C. Quando Imperat. inter pupillos vel viduas. Felin.
ad cap. 32. x. de testib. n. 2. Carpzov. in Jurispr. for. part. 1.
constit. 16. def. 46. n. 5. seq. & in process. Jur. tit. 13. a. 3.
n. 77. seq. Farinac. lib. 3. tit. 7. qu. 65. n. 162. & 188.**

Septima : Testes verisimilia depo-
nentes præferuntur minus verisi-
milia dicentibus.

L 21. §. 3. *ibi: quod naturæ negotii convenit, confirma-
bitq; judex motum animi sui ex argumentis & testi-
moniis, & quæ rei aptiora & vero proximiora esse com-
pererit. ff. de testib. Felin. ad cap. 32. x. de testib. num. 3.
Mascard. de probat. vol. 3. concl. 1364. n. 8. Carpzov. in
Jurispr. for. part. 1. constit. 16. def. 44. n. 2. seqq. & in pro-
cess. Jur. tit. 13. art. 3. n. 62. seqq. Brunnem. ad l. 2. & 3. ff.
de testib. n. 11. & ad l. 21. ff. d. t. n. 6. Dicuntur testes ve-
risimiliora deponere, si illa, quæ asserunt, ipsi nego-
tio, de quo agitur, sunt convenientiora, vel vero pro-
piora accedente præsertim probabili aliqua præsum-
ptione. Carpzov. in Jurispr. forens. cit. def. 44. num. 3.
Brunn. ad d. l. 21. de testib. n. 6. Sic veriora censentur,
quæ sunt contra testium commoda, quia nemo facile
suum jactare præsumitur. L. 25. pr. ff. de probat. nec
pejerasse quisquam censetur, qui nullum ex testatione
sua sentit emolumentum. arg. l. ult. C. Ad L. Jul. repe-
tund. Carpzov. in process. jur. tit. 13. a. 3. n. 65. In dubio
itaque magis credendum est testibus adversus propria
commoda testificantibus. Carpzov. in Jurispr. for. d.
def. 44. n. 6. 7. 8. Sic etiam prærogativa relinquenda
est testibus, illa quæ juri communi consonant, depo-
nentibus, præ illis, qui contra jus commune testimo-
nium*

nium perhibent. *Felin. ad cap. 32. x. de testib. n. 3.* v. g. si quidam testes de bona hominis fama, alii de infamia deponunt, illis potius credendum, cum iura unumquemlibet virum bonum esse nec turpitudine vitæ maculatum præsumant. *Felin. cit. l. n. 12.* sic & testibus pro libertate fundi loquentibus major fides habenda, quam eundem servire sustinentibus, cum iura quemvis fundum liberum esse præsumant. *Farinac. lib. 3. tit. 7. qu. 65. n. 140. & 150.* Thesis procedit quoque in casu, quo testes verisimiliora deponentes numero minores sunt. *L. 21. §. 3. ibi: licet impari numero & ibi: non enim ad multitudinem respici oportet. ff. de testib.* modò verisimilitudo non sit longè petita, sed negotii, de quo agitur, indoli proximè conveniens, tantaque, ut iudex facile arbitrari possit, pauciores pluribus proferendos esse. *Farinac. cit. loc. n. 130. seqq.* Quod & tunc locum habet, si verisimiliora deponentes à reliquis dignitate superantur, verisimilitudo tamen proxima & immediata prævalet. *Farinac. loc. cit. n. 135. seqq.* In criminalibus dicta regula limitationem patitur, in quibus testes verisimilia deponentes quidem indicium ad inquirendum præbent, si tamen inquisitus producat testes pro innocentia, etiam minus verisimilia proferentes, pœna dictari nequit *Farinac. cit. loc. num. 143.* Si testis impossibilia garrit, eaque se vidisse refert, quæ videre per rerum naturam non potuit, non solum nullam meretur fi-

B 3

dem,

dem, sed & ut falsi reus argui potest. *Farinac. all. loc.*
n. 144. & 148.

Octava: Testibus de negotio ejusq;
circumstantiis perfectam cognitio-
nem habentibus major fides tri-
buenda, quàm aliis plena rei cog-
nitione destitutis.

Ita *Carpzov. lib. 3. tit. 9. resp. 95. num. 4. Felin. ad*
cap. 32. x. de testib. num. 10. in fin. Farinac. lib. 3. tit. 7.
qu. 65. num. 165. Ratio ex antecedenti regula patet,
quia totius facti & circumstantiarum gnarus verifimi-
liora proferre potest. Sic & testi de arte sua, cujus
peritus est, deponenti potior fides habenda, quàm
imperito de eadem verba facienti. *Farinac. cit. loc.*
n. 187. Sic Judici de actu ex officio gesto, mercatori
de commerciis, artificii de artificio, rustico de agri-
cultura loquenti, magis quam illarum rerum ignaro
credendum. Ad hanc regulam etiam pertinet, quod
Carpzovius tit. 13. a. 3. n. 64. monet, quod testibus in
specie potius quam in genere deponentibus sit cre-
dendum. Illi enim de negotio magis informati esse
censentur. Quod comprobatur *Farinac. all. loc. nu-*
mer. 170.

No-

Nona: Testibus rationem sui asserti reddentibus major habenda est fides, quàm causam non adjicientibus.

TESTES nonnunquàm sui dicti rationem reddere coguntur, aliàs non ut homines sed pecora testari dicuntur. *Baldus in l. edita. 3. C. de edend.* illaque quæ proferunt, ipso jure nulla dicuntur. *L. 4. C. de testib.* & justam contra dicta ipsorum adversario exceptionem præbent. *Jus Prut. lib. I. tit. 35. art. 14. §. 6.* Quod ipsum tamen non est perpetuum sed sub distinctione intelligendum. Si testis deponit de illis, quæ juris sunt & magis intellectu percipiuntur quàm sensu externo, necesse est ut causam sui asserti addat, etiamsi de illa non est interrogatus. *Farinac. lib. 3. tit. 7. qu. 70. num. 6. Felin. ad cap. 37. x. de testib. n. 3.* Sic testi super dominio interrogato & respondenti, Titium esse fundi dominum, non est credendum, talis enim cognitio non tam cadit in sensum quàm in intellectum. Unde titulum emptionis vel donationis aliumve, ex quo dominium ad Titium transit, allegare tenetur. *VVissenbach. ad l. 4. C. de testib.* Ita & testis de Jurisdictione vel jure decimandi testimonium perhibens, causam scientiæ etiam non interrogatus adjicere tenetur. *Farinac. cit. loc. n. 71.* Sic testis super præscriptionis probatione productus si dixerit, quod Titius fun-

fundum Sempronianum præscripserit, producentem non juvat, nisi addat, quod viderit illum tanto tempore possedisse, quanto inducitur præscriptio. Sic enim de objecto, quod intelligibile magis quam sensibile est, interrogatus, si causam facti adjiciat, ex quo scientia colligatur, rationem sufficientem exprimere censetur; format enim ex causis in sensum incurrentibus conclusionem juris. *Felin. ad d. cap. cum causam 37. x. de testib.* Si autem testis deponit de illis quæ facti sunt, & quæ sensu corporeo immediatè percipiuntur, non tenetur dicti sui rationem reddere. *Farinac. cit. loc. n. 93.* Nisi de causa à Judice interrogatus fuerit *cap. 37. x. de testib. ibique Felin. num. 3.* Sic testi de homicidio interrogato, & respondenti: Titium percussisse Sejum, fides est habenda, licet rationem sui asserti non adjiciat. *Farinac. all. loc. num. 106.* De causa verò quæsitus si respondeat, quod viderit strictum enssem confodique Sejum, sufficientem rationem suppeditasse censetur. Idem est, si de injuria verbali alteri illata interrogatus dicat, se audivisse verba contumeliosa in Sejum effusa. Ratio enim illius testimonii tota in visu vel auditu & ita in sensu corporeo consistit. *VVissenbach. ad l. 4. C. de testib. Hahn. ad VVes. de testib. num. 6. verb. Idoneam reddant testimonii & scientie sue causam.* Si autem ratio scientiæ non congruit dicto, vel idipsum quod testis dicit, ex ratione non concluditur, vel ratio eadem est
cum

cum testis dicto, v. g. scio, quia scio, vel scio quoniam
ita est, vel quoniam nullus dubitat, vel quia sic omnes
recentent, pro congrua & apta ratione haberi nequit,
quia in ratione plus quam in dicto esse, nec vaga, du-
bia vel incerta, sed vel necessario vel probabiliter
concludens esse debet. Sic pro congrua reputatur ra-
tione, si quis dixerit, scio solutionem esse factam, quia
praesens fui. Nam ex praesentia praesumitur intelligen-
tia. *Klock. tom. 1. consil. 29. n. 314. Hahn. ad VVes. cit. loc.*
Farinac. lib. 3. tit. 7. qu. 70. n. 144. seqq. Quamvis autem
in illis casibus, qui facti sunt, & sensu externo percipi-
untur, testis non nisi interrogatus rationem reddere
teneatur, si tamen ultrò & non quaesitus eam suppeditet,
major ipsi quam testi rationem non adjicienti fides
est tribuenda. *Farinac. cit. loc. n. 19. Bald. in L. Presbyteri
8. C. de episc. & cler. n. 14. Felin. ad c. 32. x. de testib. n. 10.*
Dicta enim cum ratione veriora esse videntur. *Carpz. in
Jurisprud. for. part. 1. constit. 16. def. 44. n. 5.*

**Decima: Testes oculati auritis, qui ab
aliis se audivisse dicunt, fidem praeripiunt.**

TEstes de auditu alieno deponentes regulariter nul-
lam merentur fidem *cap. 33. ibi: nihil esse contra
Lucanum electum sufficienter ostensum nisi de auditu tan-
tum & fama x. de testib. cap. 47. ibi: ne super hoc recipian-
tur*

cur de cetero testes de auditu. x. eod. ibiq; Hostiens. & ad-
versus dicta illorum excipi potest Jus Prut. lib. 1. tit. 33.
a. 14. §. 7. Ratio est, quia quilibet de proprio sensu de-
ponere debet, quod in presentia sua gestum vel dictum.
L. 18. ibi: sub presentia sua C. de testib. can. 15. caus. 3. qu. 9.
Hartmannus Hartmanni lib. 2. tit. 15. obs. 3. n. 4. Carpz. in
proc. jur. tit. 13. art. 3. n. 53. seqq. Farinac. lib. 3. tit. 7. qu. 69.
n. 2. seqq. Hanc assertionem adeo veram esse dicit Fa-
rinac. all. loc. n. 20. ut ne quidem testimonium de audi-
tu alieno tunc valeat, si testis dicat, se audivisse à viro
magnæ auctoritatis, cum fundet rationem suam in au-
ctoritate aliena. Quin ne quidem in causa ceteroqui
favorabili v. g. pia causa hoc Testimonium valere, do-
cet idem Farinac. all. loc. n. 21. neq; tunc si fama concur-
rat ob cap. 33. ibi: nisi de auditu tantum & fama x. de te-
stibus. Farinac. cit. loc. n. 22. Quamvis enim hoc casu ex
testimonio de auditu alieno præsumptio aliqualis oria-
tur, illa tamen non est tanta, ut onus probandi in ad-
versarium transferat. Farinac. all. loc. n. 34. seqq. quod
multo magis in criminalibus, in quibus luce clariores
probationes exiguntur, obtinet, in quibus testes de au-
ditu alieno non solum non probant, sed nec indicium
ad torturam faciunt. Farinac. cit. loc. n. 9. & 14. Admit-
tuntur tamen nonnunquam testes de auditu in causis
difficillimæ probationis, ut in factis antiquis, de quorū
memoria non facile constat. L. 28. ff. de probat. ibiq; Go-
thofr. lit. O. L. 2. §. 8. ff. de aqua & aq. pl. arc. Felin. ad c. 33.
x. de

x. de testib. n. 2. in fin. & ad cap. 47. num. 1. Hartmannus
Hartmanni lib. 2. t. 15. obs. 3. n. 11. & 12. In hisce testes non
de sua tantum memoria deponunt, sed audiendi sunt
asserentes, se à majoribus audivisse ita factum esse, &
hujus rei publicam esse famam & opinionem eorum,
qui cognitionem de re habent. Carpz. in proc. jur. tit. 13.
a. 3. n. 60. & 61. vid. Hostiens. ad cap. 47. x. de testib. n. 2.
Consanguinitas quoq; & affinitas nec non filiatio per
testes de auditu probari possunt cap. 47. x. de testib. cum
difficiliter probentur. L. 83. ibi: non sub ea conditione in-
stitutum videri, quæ in potestate ejus est. ff. de condit. &
demonstr. Ut tamen testibus de auditu hisce casibus
credatur, necesse est, ut (1) sint plures, qui ita deponunt.
cap. 47. ibi: nec tamen, si unus à pluribus x. de testibus.
(2) Illi quoque à quibus testes audiverunt, sint plures.
d. cap. 47. ibi: ab antiquioribus quidem suis non utiq; ab
uno, cum non sufficeret ille si viveret, sed duobus ad mi-
nus. (3) ut testes sint personæ graves, fide dignæ &
omni exceptione majores. d. cap. 47. ibi: Nisi fortè per-
sonæ graves extiterint, quibus fides merito sit habenda.
(4) illi quoque, à quibus testes se audivisse dicunt, sint
fide digni & omni exceptione majores d. cap. 47. ubi
adjicitur ratio, quod absurdum sit, illos admitti, quo-
rum repellerentur auctores: non enim plus copiar
credendum quam originali. (5) testes ante litem mo-
tam se audivisse asserant d. cap. 47. ibi: & ante litem
motam testificata didicerint. secus si ex lite instituta de-

nam cognitio orta. (6) Ipsi etiam se illud quod au-
dierunt, credere dicant. *d. cap. 47. ibi: & credere ita
esse. x. de testib. vid. Farinac. lib. 3. tit. 7. qu. 69. n. 75. seqq.*
Quamvis autem in quibusdam casibus de auditu alie-
no deponentibus credatur, si tamen testes oculati, i.e.
tales qui contrarium se vidisse asseverant, producan-
tur, his utpote de sensu proprio testimonium perhi-
bentibus plus fidei tribuendum. *Struv. Exercit. 28.
th. 49.* Testibus quoque deponentibus de actu, con-
tractu, vel facto, cui ipsi interfuerunt, vel quod ipsi ab
agentibus, contrahentibus vel delinquentibus audive-
runt, quin plena fides sit habenda, non est dubitan-
dum, cum non de auditu alieno sed proprio testificen-
tur, & cognitionem, quam de re se habere asserunt,
non ex relatione alterius sed proprio sensu percepe-
rint. *Felin. ad cap. 33. x. de testib. n. 2. Farinac. lib. 3. tit. 7.
qu. 69. n. 148.*

Undecima : Affirmantibus magis
quàm negantibus credendum.

Berlich. part. 4. concl. 14. n. 26. Brunnem. ad l. 2. & 3. ff.
de testib. n. 12. Ves. in comment. ad Pandect. de testib.
n. 6. Quod ampliant Berlich. all. loc. & Farinac. lib. 3.
tit. 7. qu. 65. n. 201. ut procedat thesis, licet testes ne-
gantes sint numero plures. Certius enim quid novit,
qui id, quod agitur, affirmat, quam qui negat, cum ens
melius imprimatur quam non ens. *Felin. ad cap. 32. x. de
testib.*

testib. n. 8. Quin probatio factum negantis per rerum naturam nulla dicitur. *L. 23. C. de probat. l. 10. C. de non numerat. pecun. cap. 5. vers. porrò. x. de renunciat. can. 2. caus. 6. qu. 5.* Quod tamen tantum procedit in negativa vaga, quæ cum non cadat in sensus, merito sui natura improbabilis dicitur. Secus dicendum (1) si coarctata locò & tempore. *L. 14. in fin. C. de contrab. & committ. stipul. Felin. cit. loc. n. 7. Farinac. all. loc. n. 222. seqq.* Sic testi neganti Titium primo Kal. Januar. Regiomonti fuisse credendum, si eodem tempore ipsum Hamburgi fuisse testificetur. *vid. §. II. in fin. I. de inutil. stipul.* cum idem corpus in diversis locis eodem tempore esse nequeat. (2) Fallit thesis, si negativa æquè in sensus incurrit sicut affirmativa, v. g. si testis frumentum non esse vitiosum dicat. *L. 1. C. de Canone frumentar. urbis Romæ.* vel si quis neget Titium esse mortuum, vel furiosum vel ægrotum. *Felin. ad cap. 32. x. de testib. num. 6.* (3) Si negativa cum affirmativa conjuncta. Ut si testis deponat, Sejum non possedisse fundum Thufculanum, cum Titius possederit. Nam duo in solidum eandem rem possidere nequeunt. *L. 5. §. ult. ff. Commodat. Felin. cit. loc. num. 8.* (4) Testibus artis peritis, magis creditur negantibus, quam imperitis affirmantibus. *Farinac. all. loc. num 240.* (5) In causis criminalibus testibus delictum negantibus & pro rei defensione verba facientibus plus fidei tribuitur, quàm pro accusato-

re

re affirmantibus. Quod favore innocentiae ita re-
ceptum. *Berlich. part. 4. concl. 14. num. 26. & 27. Fa-
rinac. lib. 3. tit. 7. quest. 65. num. 154. & 234.* (6) Si pro
negantibus juris praesumptio militat. Ut si quis ser-
vum vel hominem proprium esse, aut fundum vicino
fundo servire negat. *Farinac. all. loc. num. 238.*

Duodecima: Si omnia paria esse vi-
dentur, ita ut neque testium qua-
litas, neque numerus, neque veri-
similitudo depositionis, neque fa-
vor rei &c. praeponderare vide-
antur, Judicis prudentis arbitrio
committitur, quibusnam testibus
magis adstipuletur.

L. 3. §. 1. *ibi: tu magis scire potes, quanta fides haben-
da sit testibus. ff. de testibus. Bus. ad l. 16. ff. de te-
stib. n. 5.* modo in sententia Judex causam exprimat,
ob quam unius partis magis quam alterius testibus
adhareat. *Farinac. lib. 3. tit. 7. qu. 65.* quod procedit,
si pro actore pronunciat. Si enim reum absolvit,
expressione causae non est opus, cum in paritate pro-
bationis Judex pronior ad absolvendum quam con-
demnandum esse debeat. *Felin. ad cap. 32. x.
de testib. num. 2.*





Königsberg, Piss., 1686-94

ULB Halle 3
004 356 780




R
H.

WMA







3. ~~2404~~ 1694, 4 28 35.
JURIDICA,
TIUM
NA,
443.
INO NUMINE
SSIMI SENATUS
CI,
STATUTA,
OCO
E ORDINARIE,
disquisitioni
S Stein /
NTE
EDIONE,
Stud.
DC XCIV.
eridianis.
EUSNERIANIS.